

DUCE DEO TRIUNO

DISCURSUS PHILOSOPHICUS

VIRTUTUM & INTELLECTUALIUM BREVEM
DE LINEATIONEM EXHIBENS,

QUEM

Ad Mandatum & suffragium Ampliss. Facultatis
Philos. in florentissima Academia Regia Aboëns;

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi & Consultissimi VIRI,

DN. SAMUELIS Gyldenstålps

De Kerrenheim hæred. Polit. & Hist. Professoris Ord.
Præceptoris & Promotoris sui plurimum
honorandi:

Pro Magisterij Philosophici privilegijs obtinendis, publico Examini
placideque Eruditorum Censuræ modestè sifit

PAULUS HEINTZIUS Wiburgo-Carelius
S. Reg. Majest. Beneficiarius

In Auditorio Maximo Anno à Nato Salvatore 1675.
d. 3. July, horis ab 8. antemeridianis.

ABOÆ,

Excusus à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

Mons. Samuel Alani.

Reverendissimo atq; Eminentissimo DOMINO,
D^N. ABRAHAMO THAUVONIO,
S. S. Theol. Doct. Præcellentissimo, Episcopo Dioce-
cessios Wiburg. Amplissimo, Consistorijq; Ecclesiasti-
ci Præfidi Gravissimo, Mecænati & Patrono Ma-
gno, devotâ mente & obsequioso animo
æternum suspiciendo.

ITEM

Pl. Reverendis & Clarissimis VIRIS,
In Reg. Gymnasio Wiburg. S. S. Theol. & Philoi.
LECTORIBUS Solertissimis, Consistorijq; ADSES-
SORIBUS Commendatissimis, Fautoribus & Promo-
toribus multis nominibus honorandis,
venerandis.

IN SIMUL

Prudentissimis & Spectatissimis VIRIS
CONSULIBUS & SENATORIBUS dictæ Civitatis Äqui-
simis & Integerrimis, Fautoribus & Benefactoribus
honoris & observantiae cultu prosequendis.

UT ET

Reverendis, Humanissimis & Doctissimis VIRIS.
D^N. BARTHOLDO MOLLERO, Pastori in Män-
dynharju pervigili, Affini honorando.
D^N. ANDREÆ HANSTENIO Pastori in Ruokolar
attentissimo Consang. sincere colendo.
D^N. MICHAELI HEINTZIO, Sacellano in Sawi-
taipal dexterrimo, fratri Charissimo.

Hocce Exercitium in contemplande gratitudinē &
declarandi amoris pignus inscribit & deferit



Vicquid eruditioⁿ, mentem, dispel-
lendo ignorantiae cognit^a nebulae, primò
subigentis ac excoletis, è residuo rationis
lumine profectum & à Philosophis omnis a-
vi, longa serie inde à primordijs doctrinæ &
rerum, ad seram hanc usq; posteritatem
transmissum habemus, id omne Arist. 6.
Eth. Nicomach. quinq; virtutibus intelle-
ctualibus, quas ibi persequitur, generatim complexus est. Qui nu-
merus, alijs eum defectus alijs excessus redarguentibus, ita subinde
exagitatus est & excusus, ut tandem judicio majoris gentis Philoso-
phorum sufficiens & adæquatus Distributo censeretur. Cuncta enim
in illis agitantur, supera, infera, cœlestia, terrestria, nec quidquam
spacioso continet orbis ambitu, quod fixum, quod certum est
rationisque decempedā mensurari potest, cuius contemplatio-
nem istæ virtutes non sibi vendicant; Nihil item in arbitrio & judi-
cio possum humano agibile reperire licet, quod non metiuntur ex ho-
nestate & usu in vita communi. Insuper nemo quidquam facile desi-
derabit in Universa Philosophia, quod non harum virtutum cancellis
continetur ac discernitur limitibus. Quæ tamen adsertio de virtuti-
bus Menti principalibus & perfectis, quæ ex se aliarum usibus non sunt
mancipatae, ex sententia communi fere omnium, intelligenda venit:
Cum instrumentales sermonem informant^e, & imperfectæ quæ in-
tellectum exactè non determinant (quanquam & ijs ad cognitionem
opus habemus, cum saepe media probabilia, auctoritates & conjecturæ
in ejus inquisitione adhibeantur) hic non ita attendantur. In illa-
rum itaq; naturam paulò altius inquirere & ingenium materiâ non
minus difficiili quam amplâ & utili evolvendâ hac vice exercere ope-
ræ precium duxi. Verum si ejus præstantiam & amplitudinem, quæ
vires ingenij mei longè exsuperant, non æquavero, quod nec spera-
re ausim, ire tenus & experiri quantum valeant, satis erit. Aequani-
mitatem ac favorem Benevoli Lectoris in censendis hisce pagellis o-
mnino expecto, quo ardenter conciliabit mihi studium discendi, quod
quantum in me est, juvare, in hocce exercitio, prora, ut Græcorum

habet proverbium, puppisq; mihi erit. Tantillum præfatus ad insti-
tum me statim adcingo. Esto igitur favente Numine Altissimi

MEMBRUM I.^m

De Virtutibus Intellectualibus in Generis.

THEOREMA I.^m

Virtus Intellectualis est habitus animi, quo mens
verum adfirmando vel negando enunciat.

S. 1. Virtus (Græcis ἀρετὴ quasi ἀρετὴ, cum præ reliquis rebus o-
mnibus eligi mereatur) Ciceroni dicitur à Viro, quia maximè decet
Sexum virilem, qui & temperamento & institutione, quæ huic adhi-
betur soliciiūs, alterum vincit Sexum tanquam sequiorem. Et si
Συνενδοχηῶς pro specie virtutis Moralis Fortitudine accipiatur, con-
stat eam potius cadere in viros. Qui à viro derivant, decus respi-
ciunt & ornamentum, quod animo, seu delectabilem quandam co-
lorem, jucundissimæ viriditati non dissimilem, virtus inducit.

S. 2. Anxiæ ambiguitatis indagine supersedere liceat, siquidem
animi virtus, cui propriissimè id nominis accedit, facillimo
negotio discerni potest, & ab ipsis facultatibus naturalibus, qui-
bus virtutis nomen interdum attribui sivevit, & ab habitibus aliarum
(præter rationalem) facultatum, quibus simulachrum solummodo
competere virtutis, circa pulveris jactum quivis concedet.

S. 3. Nec est, quod aliquis solis Habitibus moralibus Virtutis ad-
pellationem adserat, intellectualibꝫ isto privilegio exutis, nam & hi
sunt agendi principia, potentiam naturalem, ad eos recipiendos in-
clinantem, perficere apta nata. Neq; ad alia in animo agendi prin-
cipia referri possunt, utpote vel adfectuum vel potentiarum classem,
consequens igitur est, virtutes esse. Et si habitus Electivus, ab objec-
to Moralis dictus, qui alteram animi facultatem, nempe adpetentem
perficit, eam intra ordinem à ratione definitum cogendo, virtus clu-
er; cur non æquè vel potius, Intellectus, superioris & Dictatricis fa-
culty habitus, virtutis titulo insigniatur? Proinde promptitudo
utriq; facultati naturā, doctrinā & exercitatione superinducta jure
meritoq; virtus adpellatur. Aliarum verò facultatum habitus non
nisi ἀνυπότακτοι virtutibus adconsentur.

S. 4. In-

§. 4. *Intellectuales* verò audiunt hæ virtutes à subjecto. *Quo* sive *Informationis*, idq; maximè propterea, ut distingvantur à virtutibus *Electivis* sine *Moralibus*: Nam *Intellectus lumen lapsu protoplastorum* præpeditum, pro conditione & capacitate hujus vitæ exfuscent & quadantenus pristino nitori restituunt; sicut *Morales voluntatem* à bono aversam reformat *moresq;* componunt.

§. 5. Ex quibus positis ultrò consequitur, virtutes hasce *Intellectuales Habituum* ornare classem, cum potentia animi naturali perfectionem & delectationem ad agendum concilient, quod utiq; habitus naturam arguit, frustra reclamante Piccolomineo, *Intellectum sive animum*, ejusmodi perfectionis, vel, ut loqui amat, alterationis, non esse capacem, ideoq; non dari aliquem intellectus habitum; quia elim in primis parentibus abolita Dei imago, quæ eadem erat animæ quoad utramq; ejus facultatem, integritas & perfectio, ejusdemq; relicta rudera, studio nostro quodammodo reparari nata ~~avulsi~~ p̄p̄t̄as diversum evincunt.

§. 6. *Objetum Materiale* harum virtutum in communi sunt *sones* res in toto Amphitheatro, quæ sub humanam cognitionem cadunt; *Formale*, quatenus de illis veritas elicienda est. Id ita intelligi volo, res quascunq;, & in statu præcisivo ac indeterminato usq; ad Entia æquivocè ita dicta, & in statu contractiori ac determinato, virtutibus mentis conjunctim sumtis æquè subjici cognoscendas facultateq; intellectivæ adprehendendas. Unde differētia virtutum Intellectu-aliū à moralibus dispalescit, & clarius patebit, cum consideram⁹ singulatim Prudentiam, quæ virtus est Intellectualis, idem materialiter agnoscere objectum cum virtute Morali, sub alio tamen formalis, quia non fertur *Prudensia* in illud tanquam in *bonum honestum*, sicut *moralis virtus*, sed ut *cognoscibile ac verum opus Intellectus*, quod hic ministerio subjectæ sibi facultatis prosequendum judicat.

§. 7. *Principia* istarum in mente virtutum sunt *Intellectus Theoreticus*, *Practicus* & *Poeticus*. Ille fundit principia cognoscendi contemplationi subservientia, quibus virtutes Theoreticae innicuntur: Ille actionem elicientia ac dirigentia, quæ fundant virtutem Practicam, Prudentiam: Hic operi efficiendo destinata ministrat, quæ sunt natilia Artis.

§. 8. *Finis & proprium officium illarum consistit in Enunciatione Veri adfirmando vel negando institutâ, quæ in rebus necessarijs ipsa veritatis intimatione terminatur; In contingentibus Electioni subjectis voluntatis actus elicere intendit; In contingentibus vero, rationi, per phantasiam & imaginandi vim, operanti, conformandis, prodire solet ad opus vel sensibile per facultatem locomotivam organis corporis producendum, vel opus artificiale immateriale in ipso intellectu mediantibus notionibus secundis peragendum.*

THEOREMA II.^m

Secantur adæquatè in Theoreticas & Practicas.

§. 1. *Divisio hæc virtutum intellectualium præcipuè à fine petita est, quæ ut modò patuit, differt in respectu ad contingentia & necessaria, siquidem hæc certa & immutabili naturæ lege definita ab arbitrio humano non pendent, ideoq; Intellectus Theoreticus ea non cognoscit propter opus aliud proprium ab actu cognitionis distinctum; Illa vero cognoscuntur ab Intellectu Practico propter opus aliud proprium ab ipsa cognitione diversum, in quod tendit, præcedens Intellectus cognitio. Fines igitur contradictoriæ, oppositionis nimirum validissimæ lege, oppositi fundant istam in Theoramate positam Divisionem, utpote in cognitione subsistere & in ea non subsistere.*

§. 2. Περὶ τούτων autem significatio hic ita extendi debet, ut etiam τοῖς ἄλλοις, quæ alioquin ei contradistingvitur, includat, unde etiam bisecantur hæc Virtutes, quia & τοῖς ἄλλοις extra operationem Intellectus ad minimum immediatam extensa est, cuius gratiâ etiam convenient & practica nomen ex æquo fortiuntur *Prudentia & Ars.*

MEMBRUM II.^m

De Virtutibus speculativis

THEOR. I.^m

Virtutes Theoreticæ constituuntur tres: Intelligenzia, Sapientia & Scientia.

§. Distributio hæc virtutis speculativæ in tres species, desumpta est ab objecto, tum quoad rationem materiale, tum quoad formalem differ-

differenti, seu quod idem est, alio atque alio gaudenti considerandi modo, ut in progressu patebit. Nam *Intelligentia* pro objecto habet convenientiam rerum, quatenus ex ea prima cognoscendi principia complexa eruuntur atque enunciantur. *Sapientia* Ens quatenus Ens, hoc est, Indeterminatum & in omnimoda indifferentia spectatum, considerat, ut ex primis Principijs tam complexis quam Incomplexis conclusiones universalissimas enunciet ac deducat. *Scientia* vero objectum agnoscit Ens determinatum, de quo conclusiones enunciat ac demonstrat per principia proxima.

THEOREM. II.^m

Intelligentia est, qva ex convenientia rerum eruuntur prima principia ijsq; facilis ad sensus adhibetur..

§. 1. *Intelligentia* vox deducitur ab *intelligendo*, notatione utiq; congrua, eò qvōd *intus quasi legendo*, hoc est, ultro citroq; conferendo rerum naturas earundemq; cognitionem, principiorum cognitio paratur & enunciatur. Sic, cum confero Deum & creaturas, deprehendo has ab illo dependere, tum quoad Essentiam & conservationem, tum quoad omnia bona ac dona, proptereaq; pronuncio: illum ab his quoad omnes vires esse colendum.

§. 2. *Intelligentia* hic non sumitur (α) *Physicè* pro potentia naturali, quæ, ut talis, in se perfecta, non involvit perfectionem habitualis. Nec (β) *Metaphysicè*, prout à Philosopho sapientia salutatur Νῆσ καὶ εἰσήμη, sive εἰσήμη κεφαλὴ εὔχοσται, ubi quidem etiam *Intelligentia* sive principiorum cognitio, verum in actu exercito, requiritur; Sed (γ) *Abstractive* & *habitualiter* pro adquisita promptitudine eruendi principia ex adfinitate rerum.

§. 3. Dicitur alias 1. *Habitus Intelligentiae*. 2. *Noologia Arist.* vñs prout ipsi facultati contradistinguitur. 3. *Mens à Græco μέντη h. e. animus, robur, quia reliquæ cognitioni robur & fundamentum sternit.* Plura Synonyma recenset in *Noologia* sua Excell. M. Jac. Flachs.

§. 4. *Genus* supponitur ex prioribus, nempe *Virtus* vel *habitus Intellectualis*, qui per proprios actus s̄apieūs repetitos est adquisitus & complementum addit *innato*, mediantibus speciebus intelligibiliibus prima principia intimius ex convenientia rerum eruendo, erutaq;

examinando & applicando. Unde necessitas ejus facile dispalescit, quanquam enim natura inclinatur ad adsentiendum principijs aliquo modo, hinc tamen omnis promptitudo ei supervenit.

§. 5. Diff. ab objecto Materiali & Formali desumpta est. Illud est Convenientia rerum, circa quam etiam sapientia suo modo occupata est, quatenus nempe conceptum format generalissimum, in quo omnia singularia ejusdem ordinis convenientiunt, ut de eo deducat conclusiones universalissimas ex primis principijs. Intelligentia convenientiam rerum contemnatur, quatenus prima principia ex ea emanantur. Intelligentia proinde principia nuda & formaliter ad objectum revocata expendit: Sapientia vero principia applicata materialiter, & ad conclusiones elicendas adhibet Cal. Sect. i. Proem. Met. Theor. 2.

§. 6. Hac convenientia rerum omnis ultimò fundatur cognitio E.c. Si in questionem venerit, num sit aliquod Ens Independens? Adformativa ejus facili negotio adstruitur ex convenientia rerum hoc modo: conferendo res creatas omnes deprehendo eas esse Entia dependentia: Jam si nullum esset independens, essent illa & non essent; Illud, quia essent dependentia; Hoc, quia non esset, unde dependenterent: Nam quod dependens est, necessariò aliunde est, nempe ab independente, quod presupponit. Principium hujus collectionis est: Impossibile est idem simul esse & non esse. Quod nobis dictitat collatio rerum..

§. 7. Dispisci solet Intelligentia, in Simplicem, quæ ad primam mentis operationem pertinet, cum sit apprehensio simplicium, ut cum Deum mente concipio, aut formas separatas, quales sunt spiritus immateriales, vel rei alicujus definitionem; Etenim illa quoq; notionibus simplicibus adcensemur: Sed ea huc non spectat. Et Complexam, quæ operationi mentis secunda competit, cum sit simplicium compositione adfirmando vel negando facta. Hæc est novæ evolutæ sive Enunciationum natura omnibus hominibus communum, quæ ita propriâ luce radiant, ut quam primum rationis usus exseri cæperit, ijs homo statim intellectis terminis adsentiatur. Non tamen nascuntur homines perfecta promptitudine ad adsentiendum illis.

§. 8. Est præterea Intelligentia, Vel Principiorum Theoreticorum qualia sunt, Deus est, Totum est majus sua parte &c. Vel Practicorum, utpote, bonum est adpetendum, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris &c

ris &c. quib. utrisq; cognoscendis una ista mentis virtus sufficit, ut fructuaria sint, qui Συνήρησις diversam ab Intelligentia virtutem faciunt, cum hæc intelligentiæ peculiaria tantum sint objeta, nempe principia theoretica & practica, formale idem sc. speculari.

§. 9. Huc facit & illa Divisio Intelligentia, quæ vel est Principiorum ex convenientia rerum, quæ tali, natorum, inter quæ simpliciter & absolute primum est illud: Impossibile est idem simul esse & non esse. Vel, principiorum ex convenientia rerum determinata ortorum. Exempla prostant in Noologia & passim in disciplinis.

THEOR. III.^m

Sapientia est, quæ de Ente, quatenus tale, affectiones demonstrat per causas supremas sive principia prima.

§. 1. Accipitur Sapientie vox, vel (α) latissimè pro omnibus mensibus virtutibus, ambitu suo universam Encyclopædiam exhaustibus. Vel (β) Latè, pro habitu discursivo, notitiam principiorum & conclusionum, adeoq; sapientiam primam & secundam comprehendente juxta Cal. Sect. 1. Proem. Met. Theor. 2. Vel (γ) Strictè & adagquare, prout ceteris virtutibus Intellectualibus disparatè opponitur & conclusiones suas ex primis principijs elicet.

§. 2. In hac acceptione appellatur aliàs, ut notum, (1) Metaphysica, partim ob materiæ, in qua contemplanda occupatur, sublimitatem ac communitatem, partim ob inventionis & doctrinæ ordinem. (2) Philosophia prima, & καὶ ἐξουντικὴ absolute Philosophia, tum ob principalem Eminentiam, quod inter Philosophia partes sit dignissima; tum ob virtualem continentiam, quod, ut semen totam arborēm, ita hæc universam Philosophiam in se contineat ob axiomata communissima è quibus scaturiunt conclusiones inferiorum. (3) Scientia Catholica, quia in communi cognoscit omnia. (4) Ontologia, de his B. Thuronius p. 3. Met.

§. 3. De Genere, quia ex superioribus patet nihil sollicitus sum, differentiam verbo saltem indigitabo, quam suppediat objectum distin-
dum ab objectis reliquarum virtutum, nim. Ens quæ tale, consideratum cum attributis paronymicè illud denominantibus modisq; contrahentibus, & officium sapientie proprium, quod inferendo συμπερεχε-
σματα, ex supremis causis, exsequitur.

§. 4. *Requisita Sapientie* 2. Met. 2. recensita graphicè ejus munis depingunt & sunt ista; 1. Versari circa omnia, non sigillatim, sed sub communissima notione. 2. Circa difficillima occupari, quæ enim magis à sensu remota, ea difficiliora sunt, ut objectum sapientiæ. 3. Cognitionem habere certissimam, cum singula ad prima principia revolet & ex ijs conclusiones stabilitat. 4. Esse ad docendum aptissimam, non quâ methodi rationem docet, quæ Logicæ est, sed quoad rerum connexionem, quæ è primis eruitur cognitionis seminibus. 5. Esse summè adeptibilem, si enim quædam scire avemus, quidni omnia? quidni certissima? 6. Præcipere cæteris disciplinis sc. quoad dominium Theoreticum, quod exercet principia ipsis suppeditando, objecta determinando, & tationes decidendi controversias suggestendo, quare audit *Architectonica Eth. Nic.* l. 6. c. 7. sub finem.

§. 5. Quod nonnulli *Sapientiam* faciunt virtutem *compositam*, quasi ex Intelligentia & Scientia coaluerit, id non videtur posse subsistere, ut ut magnos habet patronos. Nam objectis, principijs ipsoq; formalí differunt istæ virtutes; Et non minus simplex virtus est sapientia, quam intelligentia vel scientia: Si vero coalitio illa admittatur, simul admittenda erit distinctorum habituum confusio, ut sc. Sapientiæ quoq; sit demonstrare conclusiones suas per causas inferiores. Usum autem Intelligentiæ in sapientia, qui prætendit, nil derogat sententiæ cæteroquin receptæ, cum ille communis sit sapientiæ eum alijs habitibus, qui tamen propterea non dicuntur compositi.

§. 6. Solet quoque *Sapientia* dividiri in *primam* & *secundam*; Sed ista *Distinctio* saltem nominis est, cum disparatae species sint sapientia & scientia, adeoque hæc sub illa non nisi impropiè, ampliatâ vocis ad æquatâ significatione, stare possit tanquam sub genere. Quemadmodum & vox scientiæ, per ampliationem, sapientiam & strictè sic distam scientiam comprehendit.

THEOR. IV.

Scientia est, quâ cognoscitur Ens determinatum, & de illo conclusiones inferuntur per principia proxima.

§. 1. *Scientia* Vocabulum τολύσημον est, capitur enim, (1) *Latiſſime*, Vel pro qualibet rei cognitione certa, undecunque tandem certi-

certitudo illa sit, sive ex sensu, sive ex ratione, sive ex testimonio,
sive ex Inductione, sive ex demonstratione, ut, cum dicit se al quis
scire ea, quæ videt vel tactu cognoscit, nempe nivem esse albam,
glaciem esse frigidam, lucem non esse substantiam, vinum calefa-
cere &c. Vel pro omni habitu mentis semper recto, & à cogniti-
one sensuum habituq; semper non recto contradistincto, quo sensu
Arist. Proœm. Eth. Nic. disciplinam civilem scientiam appellat,
Galenus artem medendi (2) latè pro habitu per demonstrationem
acquisito, sive iste principijs utatur primis, sive proximis, quomo-
do etiam sapientiam includit, ut modo dictum, scientiæ alioquin
contradistinctam. Inde derivarum est hoc *axioma*: *Disciplina sci-
entifice objectum est scientificum*, sc. quod opponitur objecto opera-
tionis (2) *Strictè*, cum pro habitu unius conclusionis, quâ scientia
est effectus solum Demonstrationis, tum pro totali habiu Theo-
retico conclusionum de objecto determinato formatarum, quæ ac-
ceptio hoc quadrat.

§. 2. *Objectum scientie innuitur in definitione*, nempe *Ens de-
terminatae quidditatis*, quod ex Regina Disciplinarum Metaphysi-
ca debet esse præcognitum quoad nomen & latitudinem: Nam illa
objecta aliarum virtutum determinat, & limites ponit quibus cir-
cumscribuntur & ab alijs discernuntur cum ipsa occupata sit circa
Ens, non *Entia*. Qui enim omne intelligibile sive *Ens* & omne *Ens*
eo revocant, omnes virtutes mentis in unam compingunt & habi-
tus diversissimos confundunt. Cui adassertio non officit illud, quod
minus abstractæ essendi rationes etiam spectent ad sapientiam, nam
illæ Enti subsunt. Non enim prohibit objecti formalis ratio de-
scendere ad ea, quæ sub objecto formali continentur, sed ea saltim re-
movet, quæ ipsi extrinseca sunt. Ita Physica considerans Corpus,
quâ naturale, non respuit considerationem hominis, quâ hominis,
sed hominis quâ beandi, curandi &c. Hoc enim planè extrinsecum
esset ad corpus naturale quâ tale: Atq; ita sub prima minori abstra-
ctione *Ens* considerare, tantum abest, ut repugnet sapientiæ, ut
potius ad perfectam ejus cognitionem omnino requiratur: in qvan-
tum sc. tractatur in ordine ad *Ens* indeterminatae quidditatis ut sub-
sistens & inexistens. Sed in determinatae quidditate ibi considerare
Ens, omnino implicat. Cal. Sect. i. Proœm. ad expositionem Theor. 3.

§. 3. Requiretur autem, ut illud *restrictum Ens*, quod Objectum Scientiæ constituitur, sit (α) *Necessarium*, ut distinguitur contra habitus practicos; *Habeat* (β) *Attributum individualē & essentiali* *nexus* *cum subjecto cohærens*, & (γ) *principium*, quod sit *cumpremiu proximum*, *è subjecto fluens*, sive tandem id sit *causale*, sive non, *prīus attributo*, sive *concepit*, sive *re*, adeoque sufficit *causa virtutis* ad conclusionis demonstrationem, ubi non suppetit *actualis*.

§. 4. Porro *immutabilia & eterna* dicuntur *Scientia objecta*, in quantum arbitrium nostrum nihil in ea mutanda vel producenda habet potestatis, & quatenus *immutabilitas* non ad *objecta simplificiter ita spectat*, quæ utique mutationibus varijs obnoxia sunt, sed ad *connexiōnē terminorum subjecti & prædicati* refertur, proutegre-giè de ea re differit Consultiss. Kemp. App. Phil. Mor. Sect. I. Q. 16.

§. 5. *Divisio*, quā *scientia* in *Theoreticam & Practicam* tanquam *oppositar species* distribuitur, suam ipsis statim terminis prodit *absurditatem & manifestam*, cui involvitur, contradictionem. Nam *scientia* quid est nisi *cognitio seipſa terminata?* Et, quid *praxis* nisi *cognitio in actionem proruens?* Unde *Scientiam facere practicam*, est, dicere illam *sola speculazione absolvi & non absolvi*, verūm ulterius ad *actionem extendi*, quod nemo explicatæ rationis admittet.

§. 6. Ut tandem *scientia* ab *opinione*, quæ illius simia est, sed *falsibilitate*, quatenus ad *opinantem* refertur & cum formidine partis *opposita conjuncta* est, libera & immunis sit, requiritur in illa *certitudo*, eaque *præcipue cognitionis*: *Cognoscens etenim & Objecti*—*sive rei certitudo*, quandoq; cum *opinione* consistere potest; Sic pertinacissimè *sepe rei tanquam veræ*, quæ tamen fallax est, aliquis inhæret; Et certæ etiam rei probatio per medium *contingens tantum opinionem non scientiam* gignit.

Theoreticas Virtutes claudat hoc

Axioma:

Omnis *praxis aliquam præsupponit cognitionem*.

Hinc est quod *Theoreticæ virtutes magnam fenerantur lucem* *practicis*. *Ignorī nulla, parum cogniti ex a cupidō*, *eamq; comitans actio à recto aberrans*. Quare *Intellectus* *primū illuminatione* indiget, ut suo dictamine amabilitatem conciliet, actus eliciat & ordinem præ-

præscribat agendorum E. c. qui de actionibus humanis honestè vel securis institutis aut instituendis ferre debet judicium. cognita habeat, oportet, principia illarum accuratiùs. Temperato viatu usurus & corpus debito modo subinde exercitus; temperantiae scire tenetur rationes, alimentorum naturam & qualitatem, ut & corporis complexionem ac evacuationem: quæ utique Theoriam sapiunt. Sic etiam Medicus ex Theoria, corporis humani, quod ipsius curationi subjacet, & medicamentorum adhibendorum, callebit operationem & vim, si medicas velit admovere æstro manus, atque ita in Medico theoria omnino presupponitur. Sic & in alijs, ut omnes artes mœuas endere operas, commune quoddam vinculum habere & quasi cognatione quādam inter se contineri deprehendantur, ut loquitur summus ille bene dicendi artifex. Cic. Orat. pro Arch. Poëta.

MEMBRUM III.^m

De Virtutibus Practicis.

THEOR. I.^m

Prudentia est virtus agendi ea, quæ homini sunt bona.

§. 1. Prudentia nomen habet ab officio, quod est providere media proportione circumstantiarum eligenda & ad honestum finem ducentia. Neque enim de ejus possessione sibi quidquam polliceri potest is, qui id præstare nequiverit; Sicut è contrario, cui prudentia adest, omnia perspecta habet, ut nihil fermè ei improvisò accidere possit, quippe Prudentiae cum fortuna nihil commercij. Unde stultorum dicitur vox, non putaram Dem. Or. 3. Phil.

§. 2. Est autem Prudentia, Alia Divina in sacris celebris, quæ cum alius sit indolis, huc non spectat, Alia Humana, Eaque vel Communis quæ in Politia & OEconomia obtinet, Vel Privata, quæ hominem absolutè absq; intuitu statuum Politici atque Oeconomici circa virtutum moralium objecta regit, haud aliter quam auriga cursum equorum jugo adnexorum moderatur.

§. 3. Hinc & Augustissimis exornatur titulis, dicitur enim auriga humanæ vitæ, Regina & Dux virtutum Moralium, Regula ac amissis humanarum actionum, splendor rerum &c. quia totius vite actionibus intra gyrum rationis & mediocritatem redigendis præstet, quæ me-

dia in exercitio virtutis, ponderatis probè circumstantijs, eligenda, quæve repudianda imperat & disponit, adeoq; intimè complicata est cum virtute morali, veluti communis anima, quare & definitionem virtutis moralis ingreditur. Imò etiam per omnes actus civiles & Oeconomicos se diffundit; legibus condendis, judicijs exercendis, capiendis consilijs, rebusque privatum & publicè gerendis egregiam commodat operam.

§. 4. Objectum hujus virtutis est ἀνέργουεν τελετῆς, singula ope-
rabilitas, quæ quidem ratione Existentiæ Operationis sunt Contingen-
tia, siquidem, ab arbitrio humano cum pendeant, ad esse & non esse
contingenter se habent; Ratione tamen Normæ immutabilem habent
veritatem, quæ in lege naturæ sancta est. Quod patet tum in con-
clusionibus practicis, tum in rebus ipsis operabilibus, quæ ratione Es-
tentia & Idealiter sunt constantes ac perpetuae.

§. 5. Unde clarum evadit, aliquod abstractionis (cujus obiter &
quasi transcursu hic meminisse juvabit, siquidem occasione præceden-
tis paragraphi huc incidi) munus circa objectum quoque hujus virtutis
requiri, nem. illius, quæ est à materia seu subjecto Inhesionis singu-
lari secundum Universale subjectum. Considerat enim hæc virtus &
exigit officia Justitiae, Modestiae & Liberalitatis &c. non prout ea sunt
Aristidis, Lycurgi aut Cimonis in singulari, sed quatenus in hominem
cadere possunt & debent in Idea expendit.

§. 6. Principium ejus est Intellexus Practicus ejusque Operatio, quæ
prævia in actionem prorumpit. Illa pro fundamento est, remotum
alijs principium vocati slevit, cui deinceps virtus principium actionum
extrinsecus accedens, à quo etiam illæ, quatenus in illis honestas
refulget, proximè dependent, superstruitur, ad τελετῶς firmiorem
radicationem promptiusque exercitium.

§. 7. Sed verò intercedunt inter intellectum Practicum, principi-
um suo modo remotum & ipsam virtutem, aliæ actionum cause inter-
mediae, nempe, (α) Institutio sive Disciplina, quæ, ut ad aliarum, sic
& prudentiæ acquirendum habitum plurimum confert, exempla mo-
dosque ejus virtutis exercitæ & exercendæ ex historijs & experientia
producens; quibus quasi insignibus documentis in omnes usus infor-
matur animus, ut aliorum periculis discat sapere, (β) Usus ac expe-
rientialia, proximè enim habitus acquiritur crebris actionibus

§. 8. Re-

§. 8. Recensentur etiam ab Arist. loco sup. citato *Comites Prudentiae* nempe (*α*) *ἐυβολία*, quā finem bonum nobis propositum, per media honesta consequi studemus tempore & loco oportuno (*β*) *γνώμη*, quæ est virtù æqui & boni de dictis & factis aliorum, rectum Judicium, quas & recte dixeris proprios ejusdem Effectus, nam bene consulendo & recte de factis quibusunque judicando præcipue se exserit prudentia. (*γ*) *Σύνεσις*, perspicacitas, quā recte judicamus de ijs rebus, circa quas prudentia versatur. (*δ*) *Διερότης*, quæ est naturalis quadam ratio excogitandi & inveniendi ea media, quæ ad honestæ actionis finem consequendum faciunt, quas merito ad Efficientium numerum quis retulerit.

§. 9. Oppositum Prudentiæ in *Excessu* est calliditas, quæ Prudentiæ speciem præ se fert fucato quodam & emendicato colore: Illa quidem magnâ sæpe excogitandi & exsequendi consilij dexteritate pollet; Sed, quia cum malitia conjuncta est quoad finem intentum vel adhibita media, quasi sorex illo se prodit indicio, plus namq; nocet quam prodest, & nihil minus quam cum honestate, prudentiæ necessario connexa, quidquam habet commune. Ea taxatur à Salomo-ne Prov. 12. 4. Astuta sunt consilia improborum. Ab altera parte nempe in *defectu* Prudentiæ opponitur stultitia, quæ, vel non internoscit bona & mala, vel si maximè noverit, ad turpia tamen transversa rapitur à peccandi prava libidine. Et conspicitur in eo, quod præterita in memoriam non revocentur, aut debito modo cum præsentibus conferantur; præsentia negligantur; Et furura non præcaveantur. In de Eventus stultorum audit Magister, quia experti damnum demum sapiunt, & pænitentiâ serâ ducuntur.

THEOREMA II.^m

Ars est habitus cum recta ratione Effectivus.

§. 1. Ars in Genere usurpatur 1. Pro quavis promptitudine & facultate agendi, sive ea congenita sit, sive usu & adsvetudine parata: Sic sollemus dicere, hirundinem arte sibi nidum struere, ut pullos ab injuria cæli & aliarum avicularum tueatur. 2. Pro quovis habitu naturalem agendi potentiam facilitante, quomodo nullæ animi virtutes artis nomen respuant. 3. Apud Ramæos, pro præceptorum ordinata conge-

rie per habitum repræsentata. 4. strictè & propriè pro uno quinq;
habituum 6. Eth. Nicom. cap. 4. ab Arist. recensitorum, quo
sensu modò definita est.

§. 2. Sunt, qui superius adlatam definitionem ita coarctant, ut
artes liberales eo nomine, quod opus materiale non efficiunt, nec in-
strumentis corporeis suum munus exseqvuntur, ab artium numero
excludant, idq; Auctoritate Aristotelis nixi fecisse videri volunt: Ve-
rūm alij, qui ab ijs discedunt, ex ipso Aristotele contrarium sensum e-
vincunt. Vid. Praclariss. Flach. Coll. Log. Proœm. Sect. 2. Elenct. Qv.
4. ubi dilucidè sententiam, quam sequor, varijs argumentis stabili-
tam, & ab exceptionibus vindicatam, defendit. Et Ejusdem cap.
Sect. 1. Theor. §. 2. vocis *Efficere* significationem æquè ad imma-
teriata quam materiata referri varijs exemplis edocet. Et quo, quæfo,
nomine venient, liberales illæ, quarum mentio facta est, artes, hæc ad-
empta ipsis adpellatione? Præterea in confesso est, illos etiam habi-
tus, quos nemo artibus adnumerare ambigit, non omnes relinqueret
opus materiale, ut constat de Medicina, Musica Melipcea &c.

§. 3. Dicitur *Ars cum ratione Effectiva*, ut distingvatur ejus Effec-
tio ab illa quæ naturæ competit sine ratione, nam & natura efficit,
sed rationem facti non dat. Hic Observandum, rationem notare I-
deam sive formam rei originalem mente artificis conceptam, quæ per
phantasiæ operatur in subjectam sibi materiam, ejus, quod post o-
perationem remanet operis causa. Competit autem illa 1. Menti,
ut principio. 2. Habitui, ut formæ ex principio pendent. 3. Operi
artificio, ut rei Effectæ ex præscripto rationis.

§. 4. Jam itaque ex dictis dispalescit Mensem ejusque *Intellexillum*
Poëticum Princípium esse Artis, quæ illi rationis munia obeunti, in-
star instrumenti cuiusdam, inservit. Quamobrem Artem non rectè
dixeris primum efficiendi principium, nisi, quando ad opus refertur,
quatenus illud est artificiosum; Intuitu enim agentis principalis sup-
ponit naturam se priorem.

§. 5. *Discrimina Artis & Prudentiae* ponuntur à Philosophis hujus
modi: 1. Quod prudentia sine suo intrinseco contenta, non intendat
extraneum, quo rectè operata possit frustrari, seu, quod idem est, opus
ejus propter seipsum non propter aliud expetatur; Ars feratur ad ul-
teriorem externum sc. adeq; ejus officium aliò referatur. Sic pru-
dens actiones virtuosas exercet, non propter aliud quam solam hone-
statem

statem in ijsdem ipsis eluentem; Citharædus fides pellit propter hilaritatem in animis excitandam. 2. Prudentia est Regina virtutum Moralium Ars verò ministra Prudentiae & cæterarum virtutum. 3. Ars suo munere extrinsecus defungitur, nec cum animi perturbatione connectitur, Prudentia verò intrinsecus & cum affectu semper est conjuncta. Illic proinde non in considerationem venit, quo quis animo quid peregerit, quod tamen hic maximè attenditur: Nam si sponte peccaverit Prudens pessimus est, sicut vice versa, præstantior arte, qui in ea sponte delinquit.

*Colophonis loco de sede, Ordine & Numero Virtutum Intellectualium subnecto. **

I. Virtutum Intellectualium doctrina commode referri posse videtur ad Philosophiam in Genere.

Nam Philosophia est Habitus ex Virtutibus sive habitibus Intellectualibus aggregatus. Iam, ubi totum aggregatum consideratur, ibi necesse erit etiam partes illud componentes pariter expendere. Deinde, species virtutum mentis, nempe Disciplinæ habitualiter acceptæ, ad Præcognita Philosophia, ceu genuinam vocantur sedem, idcirco nec earundem Genera virtutes sc. Intellectualis eodem referre absonum fuerit. Recepta vero est sententia & communis recte philosophantium calculo adprobata, Philosophiam esse habitum aggregatum, collectione plurium habituum (qui Intellectuales sunt virtutes) constitutum; Quare B. Thuronius etiam ipsis Definitioni Phil. istam vocem inservit. Huc facit, quod disciplinæ in concatenata Encyclopædia serie dispositæ, vehementer, cognitâ virtutum intellectualium Indole, illustrentur; Sicut vicissim Disciplinarum natura mente perspecta haud parum lucis virtutibus his attulerit, idq; vi relationis quæ inter illas volvitur. Quin tamen varijs Disciplinis, ut Logicæ, Metaphysicæ & Ethicæ, pro re nata, prefigi & suffigi possint, morose non repugno. Calovius in peculiari disciplina Gnostologia tradendas voluit, quæ tamen in re Doctorum non meruit adplausum.

II. Virtutes Intellectuales ordine satis Convenienti à Philosophis dispositæ sunt.

Virtutes Theoreticas antecedunt Practicas, quia his, ceu fax quædam,
præ-

præludent, & ~~we~~^gis præcedaneâ theoriâ omnino carere nequit. Inter illas autem agmen dicit Intelligentia, quia proximè è recta ratione resultat, & reliquas omnes lumine ac virtute influit. Quin etiam prius cognoscuntur axiomata ac principia per se nota, quæ ex objecto hujus virtutis pullulant, quam ratiocinationes inde deducere, quæ reliquarum sunt conclusiones. Eam excipit Sapientia, ordine item congruo locata, quia ex principijs primis ab Intelligentia suppeditatis, de Ente indeterminato, conclusiones format communissimas. Cui etiam rectè ad sociatur Scientia, quæ de Ente determinato per principia proxima conclusiones deducit minus communes. Præctica virtus præcedit Poëticam, quia hæc aliquam præxim ad sua opera perficienda requirit & per actionem arte directam artificiosum quid constituit.

III. Numerus Virtutum Intellectualium receptus sibi constat.

Nam: Quot generum sunt Enunciata necessariæ veritatis, mentis habitu dirigenda & facilitanda, tot sunt Virtutes Intellectualis; Sed quinque; generum sunt Enunciata necessariæ veritatis, mentis &c. E. Major constat, quia Virtus Intellectualis mentem habitualiter perficit enunciando Verum, sive quoad vera mentis Enunciata. Minor. Enunciata mentis alia sunt Nonnata Intelligibilia, quæ sunt Axiomata sive principia prima, positâ terminorum cognitione, absque; ulla illustratione nota. Alia Diavonixia primi ordinis, nempe Consequentiae generalissimæ ex principijs primis elicite; Alia Diavonixia secundi ordinis, quæ sunt conclusiones ex causis proximis illatæ; Alia wegnitæ, quæ agibilia normant & verum de ijs judicium ferunt; Alia woñitæ Effectibulum cum ratione directiæ. Et vero omnes habitus adquisiti & principales, quigue verum propriè dicunt, hue referri possunt, unde pture dari necesse non est. Et tamen omnes illi quingue distincti sunt, quemadmodum supra patuit, ut pauciores esse nequeant. Sed hic instituti ratio filum abrumpere jubet: que vel Ingenium meum fugerunt, vel consultò per festinationem transferunt, Lector Benebole, supplex rogo & adposita Candide interpretaris.

Soli Sapienti Deo Triuni sit Laus, honor
& gloria in secula nunquam
terminanda!

Modestissimo & què ac doctissimo JUVENI,
N. PAULO HEINTZIO, CARELIO, Phil. Candidato dignissimo, ac pro honoribus in hoc sphæristerio summis publicè disputanti, amico per dilecto, licet & edito, gratulari volui:

Forte rogam reducem, cur nostra Lycea brubeio

Artis ingenij te deconare volunt?

Tu quid amice illis respondes? Civis ut olim

Romanusne foro in qui posuit medio

Organa queis duros toleraverat ipse labores

Et nati & natae & rusticæ totæ domus.

Offero, ait, vobis ruris cantamina nostri,

Ne videar dives artibus esse malis.

Sic ubi te dubitant operatum rite per annos

Tam paucos studijs, Sva vis amice, refer:

Aspicite in vultu pallorem, in corpore toto

Elucubratæ noctis & artis opes.

Vel si non fueris testis satis aptus: abunde hec

Nostrum probabit ovans omnia Musa. Vale.

L. Mq;:t

MARTINUS MILTOPEUS.

Sublimium literarum virtutisq; insignis cultu Perexcimio Viro- Juvensi,

Dn. PAULO HEINTZIO Wiburg. Philos. Candidato meritissimo,

nec non Schola Viburgensis Rectori designato, amico meo apprime dilecto;

Pro summis in Philosophia honoribus publicè disputanti:

ARDua perducens ad sacras semita Musas

HEINTZI qvam fuerat, Te didicisse reor;

Qui jam florentes solers impenderis annos

His sacris; doctis pieridumq; choris;

Displacet haud labor hic, qvo tandem Numinе summo

Auxiliante, tuum surget ad astra decus;

Otia suppeditat venturæ grata senecte,

Atq; Juventutis lausq; decusq; manet..

Succedant vovo cursu meditata secundo,

Qvo possis patrio commoda ferre solo.

Insignes felicesq; studiorum Philosophicorum pro-

fessus ex animo gratulabar

JACOB. FLACHSENIUS Met. & Log. P. p.

Litteratissime Dn. CANDIDATE PAULE HEINTZI, Scholæ V
burgensis Rector meritissime, Amice & commilito Exoptatissime,
Par annos non ita paucos, magis magisq; mihi innotescere caper
Ornatissime Dn. CANDIDATE, non ignaviā vel turpi otio, n
effrenata vitā, quæ plurimis jam prols dolor in delicijs est, verum
Juvenem Deo, Musisq; dicatum decebat, pietate, virtute & Arte, n
mihi solum, sed toti nostro Laudabili Athenaeo; hinc quod jam tibi
honorum adēptione feliciter ex voto & omnium suffragio evenit, f
re omnino augurabar: Ut itaq; tuarum haud vanus extiteram bac
nus sortium vates, ita in posterum virtutum tuarum preco, com
ditatumq; studiosus nec postremus ero; nam & in præsentि, minime vu
garis, ne dum abortiva, eruditioñis tua monstrabile specimen, non su
summā delectatione manibus verso, in quo de prærogativa, Argumen
ti Majestas, orationisq; suavitatis, ambiguæ victoria fortunā certant
Quid enim sublimius Intellectu hominis, Ratio nostra concipere potest
Ne dicas Deum, quem obliquè solum, ut loqui placet, cognoscimus
Quid præclarus dici potest, quam ubi orationis venustas & qualis u
biq; refulget, verbag; sonantia & antiqua, mellus, laetitiae copiam aber
tim prabent? Ita, & ingenij & eloquij facultate peraque coruscas Or
natissime Dn. CANDIDATE, quare ex animo tibi Gratulor, De
umq; calidis Sollicito votis, velit dona illa, tibi tam esse perennia ac
præclara. Vale & Prosperare ut cupit Tuus
SAMUEL Gyllestanpe/ P. & H. P. P.

Pangite pierides cultori carmina yestro,
Mecum certatim Musæ modulamine tali:
Vive diu felix Musarum clara propago,
Palladijs studijs ac inclarescere perge!
Sit tibi mens hilaris, domus ampla, decusq; perenne,
Et tandem pateant denato cœlica templæ!
Ante sed arboribus frondes & frondibus arbor
Deerit & accipitrem gallinæ occidet alumnus;
Triticeas messes glacialis bruma videbit,
Atq; per æstatem fugient arbusta cicadæ;
Fœdera cumq; rogis pangant Paetolus & Albis;
Quam tuus è nostro labatur pectore vultus.

JOHANNES G. SALMENIUS Fac. Phil.
Adjunctus & Rector Cantus Aboensis.